

ORATIO DE HONORE.

exquirunt, quiq; unamquamlibet rem suo afficere symbolo, suo appellare nomine, & cum rebus quasi nata vocabula usurpare consueverunt, interdum hæc confundere. In distinctione autem illorum notatu dignū, quædam bona sui, quædam alterius, quædā sui & alterius gratiā simul expeti. Primi generis est summū bonum, ad quod omnes hominis actiones tanquam ad scopū collineant. Verissimum n. vetus illud veterum philosophorū est verbum, omnia fieri propter finem aliquem. quemadmodum & hoc: Unius rei finem esse unum. Quod tamē haut ita velim intelligi, ac si una res variis modis prodesse; Ex una, quod ajunt, fidelia duo dealbati parietes nequeant. sed ita, nt uni tantū fini ultimo, summo, præstantissimo res quælibet naturali ordinatione destinata sit, ad quem cæteræ, quæcunque ex ea resultare possint utilitates, unicè referantur.

Cùm itaque summū bonum hominem perfectissimum omnibusq; numeris absolutū efficiat, adeoq; postremus ipsius sit finis, honorē illi competere dicimus. Quid autem? Nonne omnia creata ad unicam & solam unici & solius Dei gloriam reducuntur? Omnino. reducuntur. at illis tamen sua quoq; perfectionis attributa est portio. Quemadmodū n. tota hæc tenuitatis meæ structura ad præsens hoc perficiendū negotium concurrit, alio tamen munere fungitur os, alio oculi, alio aures, alio manus, alio pedes, alio deniq; ipsa mens, nec suo quodq; membrum fine frustatur, licet aliis sit totius: Ita quanquā omnia hominis totiusq; hujus pulcherrimi naturæ theatri opera ad concelebrandū opificem Deum accommodata sint, quid quantumq; tamen huic rei singula cōferant est advertendum. Quoniam autem summum bonum aliud divinū est, aliud humānum, honorē quoq; aliud divinum aliud humanū esse nemo inficias ibit.

Cui divinum in summa excellentia bonum, vel qui ipse summum bonum est, is divinos sibi vendicat honores, eum adoramus, ei tam cordis quām corporis genua flectimus, divinosq; cultus omnes meritò exhibemus. Hic honor Deo illi Trino & Uni, alias nemini creaturarum convenit, neminiq; exhibendus est, nisi soli Deo, quem ante omnia nosse oportet & cognitum piè puriterq; venerari. Qua quidem de re facē nobis præferunt sacræ literæ: Quanquam in profanis etiā sparsæ & micantes quædam scintillulæ reperiantur, quæ de entiū illo Ente optimè nos monent. Ecquid n. magis pium magisq; Christianum ab homine non Christiano dici potuit, quām hoc? Et profectò Deus, qui quæ nos gerimus, auditq; & videt! sanè quocunq; oculos animumq; convertas, mortalia, immortalia, sublimia, terrena, animata, inanimata, clamant clare & testantur, quid-